

aussi bien qu'en Allemagne, mais le fait de lire cet écrit dans un manuscrit de Saint-Trond me fait croire que son origine doit être cherchée à Liège. On sait que Grégoire VII adressa, le 23 mars 1075, à Théoduin, l'évêque de cette ville, une lettre avec ordre de soumettre son clergé au célibat. On sait aussi que cette loi y suscita de vives protestations. Il ne m'a cependant pas été possible de découvrir ou même de conjecturer le nom de l'auteur de cet écrit. Je crois seulement que le traité anonyme et inédit *Habet omnis aecclesiastica disciplina*, qui fait suite à celui-ci dans le manuscrit, est de la même époque et, si je ne me trompe, du même auteur. Peut-être sera-t-il possible un jour de faire plus de lumière sur ce sujet, L'auteur de la lettre est, lui aussi, inconnu, et, puisque son contradicteur contemporain n'est pas parvenu à le dévoiler, il y a peu d'espoir que nous réussirons mieux.

Dom B. Sodar a bien voulu copier pour moi, il y a une quinzaine d'années, ce traité; j'ai recollationné récemment la copie sur le manuscrit. L'identification des nombreuses citations a été un travail pénible, qui n'a pas été toujours couronné de succès.

D. DONATIEN DE BRUYNE.

<CONTRA LITTERAS CUIUSDAM PRESBYTERORUM  
CONIUGATORUM CAUSAM DEFENDENTIS.>

- f. 137<sup>v</sup> Cogit nos ueritatis amor et causa Christi non silere, quia peruenerunt ad nos littere cuiusdam nobis non cogniti, malorum  
 5 defensionem bonorumque impugnationem continentes et exquisitis sententiis repugnantes uisitacioni qua nos medicina uulnerum nostrorum, quae pendit in cruce, reuisere coepit in tempore beneplaciti sui. Nunc, amice quisquis es tu, qui litteras tuas emisisti ad maiorem aecclesiam huius ciuitatis, ut te, qui infirmus  
 10 putabaris, sanum ostentares, et eos qui saniores uidebantur maioris infirmitatis argueres, haec dicta nostra sic accipe, ut amici magis quam inimici animo nos locutos esse intelligas. Debemus enim uerberati in maxilla alteram quidem prebere<sup>1</sup>, sed ueritatem non tacere. Itaque, o infirme, o uulnerate, medicus magnus, medicus  
 15 samaritanus, clementer tibi et patienter ignoscat quod quasi per impatientissimam frenesim exasperas eum et manus eius repellis, dum contra eum inuoluis sententias sermonibus imperitis. Ille te in descensu tuo ab Iherusalem in Iherico a latronibus comprehensum et stola castitatis spoliatum et plagis luxuriae impositis semiuiuum  
 20 relictum appropians et misericordia motus iumento suae humanita-

1. Cf. *Matth.*, 5, 39.

tis imposuit et ad stabulum sanctae aecclesiae perducens, stabulario, uidelicet beatissimo Petro apostolo et post eum cuilibet ipsius uicario, duos duum testamentorum denarios proferens : *curam*, inquit, *illius habe*<sup>1</sup>. Stabularius itaque perspicuens letale uulnus animae tuae, quod est sacerdoti Christi feminam habere et hoc ex tradito sibi utroque testamentorum animalium immolatores tempore officii sui domos suas non ingrediebantur, quanto magis tu, sacerdos nouae gratiae, quae omni tempore sacrosanctum corpus Filii Dei offerre debes, omni tempore custodire debes uestimenta tua ne nudus ambules<sup>2</sup>, hoc itaque perspicuens, hoc coniciens, curam competentem adhibere non distulit. Exhibuit fomenta, exhibuit ungenta adhortationum et medicamina scripturarum diuinarum ; ad ultimum, uidens nichil omnino suam preualere industriam, utitur ferro abscisionis<sup>3</sup> cum tibi inobedienti diuinum officium interdicit, iuxta quod Hylarius papa dicit<sup>4</sup> ut *cui uestrum amplius placuerit indebita feminarum familiaritas quam sacri ministerii puritas, habeat quod elegerit, quia in simul et sacri ministerii puritatem et immundi contubernii non potestis habere impuritatem*. Ad haec tu infirme, miserande, male fortis, contumaci dolore stimulatus, pugnum exeris et medicum percutis arguens eum blasphemiae in Spiritum Sanctum, culpans eum detrahare sacrificio Domini, eo quod corpus sancti Filii Dei de manibus tuis inmundis liberare contendit, qui illum cum Iuda traditore tradis et cum iudeis crucifigentibus crucifigis, ita ut, sicut apostolus dicit<sup>5</sup>, *reus sis corporis et sanguinis Domini*, dum illud indigne tractas et manducas ad iudicium tibi, *non diiudicans corpus Domini*.

Bene et perite disseruisti dona Dei peruenire ad eos qui cum fide percipiunt, etiam si talis sit ille per quem accipiunt qualis fuit Iudas, si sit fur, si sit adulter, si sit homicida. Sed, o preclare rethor, luculente huius orationis tuae intentionem auditoribus pande. Quae est huius intentio ? Numquid ut si deprehensus fuerit Iudas non iudicetur et non *exeat condempnatus et episcopatum eius accipiat alter*<sup>6</sup> ? Non bene aduertisti uenerabilium doctorum intentionem qui ex sententiis eorum quos compilasti tuum armasti errorem. Comparemus nunc intentionem tuam cum intentione eorum ut uideas quam sint tibi contrarii, hii quos quasi defensores tibi parasse uideris.

Qui uerba tua recte perpendit, aperte uidet quod tu et si nominatus fueris for (f. 138) nicator aut inmundus et cetera<sup>7</sup>, uelis tibi communicari, tibi aue dici, cibum tecum sumi. Nec mirum. Aliter enim temporale sacerdotii emolumentum non consequeris, propter quod solum sacerdocio carere non uis. Quam ob rem cui assimilabo te et

1. *Luc. 10, 35.*

2. *Cf. Apoc. 16, 15.*

3. *Cf. Reg. Benedicti c. 28.*

4. *Non inueni.*

5. *I Cor II. 27, 29.*

6. *Ps. 108, 7. 8.*

7. *Cf. I Cor 5, 11.*

similes tibi sacerdotes quorum multitudo magna est? Similes estis turbis illis quae uenerunt ad Dominum ut raperent eum et facerent eum regem super se <sup>1</sup>, quia saturauerat ex eis quinque milia de  
 65 quinque panibus et duobus piscibus. Quibus Dominus: *Amen, inquit, dico uobis, queritis me, non quia uidistis signa, sed quia manducastis ex panibus et saturati estis* <sup>2</sup>. Hoc modo uos queritis Dominum, immo irruitis in eum per sanctum et terribile altaris ministerium,  
 70 *non quia uidistis signa* quae mundi cordis oculi soli uident, scilicet ammirabile misterium incarnationis et passionis Filii Dei, *sed quia manducastis ex decimis et oblationibus fidelium et saturati estis*. Itaque ea est intentio tua ut, remota omni quaestione de dign<it>ate uel indignitate sacrificantium, id solum curetur ut sollempnem orationem sciatis proferre super sacrificium. Ad hoc contuendum,  
 75 uenerabilium patrum, quasi ipsi tecum senserint, sententias compilasti. Sed eorum intentio melior et discretior est, uidelicet ut homo hominem non iudicet ex arbitrio suspicionis, sed uel ulro confessum siue accusatum atque conuictum. Dicit enim Augustinus in libro de penitentia <sup>3</sup>: *Nunc autem scripsi uobis noni commiseri. Si*  
 80 *quis autem frater nominatur aut fornicator aut idolis seruiens aut auarus aut maledicus aut ebriosus aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere. Quibus uerbis satis ostendit, non temere et quomodolibet, sed per iudicium auferendos esse malos ab aeclesiae communione, ut si per iudicium auferri non possunt, tollerentur potius. Noluit enim*  
 85 *hominem ab homine iudicari ex arbitrio suspicionis uel extraordinario usurpatoque iudicio, sed potius ex lege Dei secundum ordinem aeclesiae, siue ulro confessum, siue accusatum atque conuictum*. Numquid ex arbitrio suspicionis iudicantur hi quibus tu, egregius orator, patrocinaris? Nonne quisque uestrum indebitum accessum ad feminam  
 90 habens coniugium uocat, hoc praetexit nomine culpam? Uide ergo quam diuersi sint ab intentione tua hi quorum sententias ad defensionem tibi parasti, cum illi de his agant quae in suspitione sunt, uestrum autem sit publicum.

Amotis igitur pannis tuis, purpureis quidem, sed hic locum non  
 95 habentibus, sententias magis ad rem pertinentes audi.

Ex concilio Neocesariensi <sup>4</sup>: *Presbiter, si uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si uero fornicatus fuerit aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet et ad penitentiam redigi*.

Ex decreto Papae Innocentis <sup>5</sup>: *Preterea quia dignum et pudicum et honestum est, tenere aeclesia omni modo debet, ut sacerdotes et leuitae cum uxoribus suis non coeant, quia ministerii cotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim: Sancti estote quoniam et ego sum sanctus Dominus Deus uester. Et post pauca: Presbiter, si*

1. Cf. Joann. 6, 15.

2. Joann. 6, 26.

3. Serm. 351, n. 40.

4. C. 1 (ex interpretatione Dionysii Euaigui).

5. Innocentii I epist. 2, n. 12.

105 *contaminatus fuerit a carnali concupiscentia, quo pudore uel sacrificare forsitan usurpabit, aut qua conscientia, quoue merito se exaudiri credit, cum dictum sit: omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nichil mundum?*

110 Ex concilio Niceno<sup>1</sup>: *Interdixit per omnia magna synodus non episcopo, non presbitero, non diacono, uel alicui omnino qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte matrem, aut sororem, aut amitam, uel eas tantum personas quae suspiciones effugiunt.*

115 Ex decretis Syricii Papae<sup>2</sup>. *Feminas non alias patimur esse in domibus clericorum, nisi eas tantum quas proprias per solas necessitudinum causas id est propinquitatis habitare cum isdem sinodus Nicena permisit.*

120 Ex decretis Leonis papae<sup>3</sup>. *Lex continentiae eadem est altaris ministris quae episcopis atque presbiteris, qui cum essent laici siue lectores, licito et uxores ducere et filios procreare potuerunt, sed cum ad praedictos gradus peruenerunt, coepit eis non licere quod licuit.*

125 Et in lege a christianis imperatoribus promulgata<sup>4</sup> *Quia sub occasione propinquitatis aliae mulieres subintroduci coeperunt sancti africani (f. 138<sup>v</sup>) canones decreuerunt ut nec ipsi episcopi aut presbiteri soli habeant accessum ad uiduas uel uirgines uel ad quascumque feminas, sed ubi aut clerici<sup>b</sup> praesentes sint, aut graues aliqui christiani.*

Beatus Gregorius ad ministros romanae aecclesiae scripsit<sup>5</sup>. *Beatus Augustinus nec cum sorore habitare consensit dicens: Quae cum sorore mea sunt, sorores meae non sunt.* Et ex hoc dicit sanctus  
130 Gregorius: *Docti uiri cautela magna nobis debet esse instructio, nam inhonestae praesumptionis est, quod fortis pauet, minus ualidum non timere. Sapienter enim illicita superabit qui didicerit etiam concessis non uli.*

135 Quae beatus Gregorius uere secundum nomen suum uigilans, quae magnus Leo magno rugitu ab urbe Roma per totum mundum intonans, quaeque beatus Iheronimus, quaeque beatus Augustinus in suis epistolis uel commentariis, quaeque christiani imperatores in christiana lege suis decretis uel edictis roborauerunt, quae sceda capit? Quae quia tu bonus dormitanti<sup>6</sup> hactenus  
140 forte non audieras et nunc primum euigilasti, nouum te audire dicis. Haec decreta sanctorum patrum ne putes malam seuitiam, nam ex caritate seuiunt. Didicerunt enim a bono magistro uinum

a. Haec uerba Et in.... promulgata corrector quidam ut delenda notauit, forsitan quia non inuenit.  
b. cleri ms.

1. C. 3 (eius interpretatione Dionysii Exiguus)

2. Epist. 1, n. 12.

3. Epist. 167, inquis. 3.

4. Non inueni, sed cf. Conc. Carth. III (a. 397) c. 38.

5. Epist. IX, 110.

6. Cf. Horat. Ars poet. 359.

nouum non esse mittendum in utres ueteres. *Alioquin*, inquit,  
*utres rumpuntur et uinum effunditur et utres pereunt*<sup>1</sup>. Haec a te  
 145 non multum abludit imago. Nam quamdiu carnalis es, uetus es  
 uter; gratia autem sancti sacerdotii uinum nouum, uinum fortissi-  
 mum. Hac ergo gratia suscepta, si carnalis es et carnaliter uiuis,  
 rumperis sicut uetus uter, quia, sicut apostolus dicit: *Iudicium tibi*  
*manducas et bibis*<sup>2</sup>. Nec tibi soli perniciosus es, sed sicut ibidem  
 160 subiungit idem apostolus: *ideo in uobis infirmi multi et dormiunt*  
*multi*<sup>3</sup>. Et sicut sanctus Cyprianus in libro de gradibus abusionum  
 ostendit<sup>4</sup>, loquens de iniquo rege, quod non minus ueraciter  
 accipiendum ait de indigna sacerdotum multitudine: *Idcirco*,  
 inquit, *sepe pax populorum rumpitur et offendicula suscitantur,*  
 155 *terrarumque fructus diminuuntur et seruitia populorum prepediuntur.*  
*Multi et uarii dolores prosperitatem hominum inficiunt, carorum et*  
*liberorum mortes tristitiam*<sup>5</sup> *conferunt, hostium incursus prouincias*  
*undique uastant, bestiae armenta et pecorum greges dilacerant, tem-*  
 160 *pestates ueris et hiemis turbantur, terrarum fecunditates et maris*  
*ministeria pro<hi>bentur et aliquando fulminum ictus segetes et*  
*arborum flores et pampinos exurunt.*

Iam uero quid dicam, quod ad ultimum in abbates et monachos,  
 paruule persecutor, inueheris incerto debilis arcu<sup>6</sup>? Dicis ab ipsis  
 165 abbatibus et monachis praedicari quod quisquis filium presbiteri de  
 sacro fonte suscipit, debeat sibi manum abscidere, aut numquam  
 Deum uidebit. A quibus abbatibus hoc dicis predicari? Iam dignus  
 es magistri ferulae manum submittere, qui in abbatibus pronomine  
 uteris, quorum necdum nomina posuisti. *Sagittae paruulorum factae*  
 170 *sunt plage*<sup>6</sup>  *tuae quae nulli nocent. Omnibus minantur et nullum feri-*  
*unt. Tu uero ut libet cum eis qui patremfamilias Beelzebub*  
*uocauerunt, uoca domesticos eius quicquid uis, hereticos aut aliud*  
*quod iussit splendida bilis*<sup>7</sup>. Nos te quidem in hoc nec responsione  
 dignum arbitramur, sed his <contra> quos inuidiam bonorum exci-  
 tare uoluisti, paucis, si dignentur, satis facere curamus.

175 Abbates igitur et monachos, uasa decoris integri, tetigimus melius  
 quam tu et auditu persensimus quod non crepauerunt, nec tam male  
 resonant, nec ita factori suo contradicunt, ut a gratia eius qualem-  
 cumque hominem repellant, praesertim cum ille ex una massa et  
 ex<e>odem luto uniuersa humani generis uasa finxerit et pro omni-  
 180 bus mortuus sit. Sciunt enim ipsi rationem ueritatis melius quam tu,  
 egregiae doctor, quem praesumptio puniendi impulit ad docendum

a iustitiam ms.

1. *Math. 9, 17.*

2. *I Cor. 11, 29.*

3. *I Cor. 11, 30, 30.*

4. *Pseudo-Cyprianus De XII abusionibus c. 9.* (Texte u. Unters. XXXIV 1, p. 52).

5. *Lucain, Phars. 8, 273.*

6. *Ps. 63, 8.*

7. *Horat. Sat. 2, 3, 141.*

nos. Sciunt, inquam, teste Iheronimo <sup>1</sup>, quod *non magis obesse possunt filiis patres adulteri uel incesti quam obest seminibus tritici si sator inmundam manu illa iecerit*. Et ideo dicit <sup>2</sup>: *filius non est eius cui*  
 185 *natus est, sed eius cui renatus est*. Et beatus Augustinus <sup>3</sup>: *Undecumque*, ait, uel a quibuscumque parentibus *nascantur homines, si parentum uicia non sectentur et Deum recte colant, honesti et salui erunt*. Hoc autem in multis et in sancto Latrone episcopo filio Genebaudi Laudunensis episcopi <sup>4</sup> diuina gratia (f. 139) declarauit. Sed quid nos  
 190 gratiam, uniuerso coelo tonante, toto mundo audiente, testificatam particularium hominum minutis sententiolis et exemplis fulcire laboremus. Filii ire, filii diaboli, omnes omnino gentes, nullo excepto, magno tonitru aeuangelii iubentur baptizari <sup>5</sup>, et tu abbates et monachos filios coniugatorum presbiterorum excipere criminari?  
 195 *Mentita est iniquitas sibi* <sup>6</sup>, nam huiusmodi gratanter excipiunt in collegio sui ordinis.

Iam quia sermo claudendus est et prolixitas finem imperat, hoc te commonere uolumus, ne, aliquot arreptis de ueste <sup>a</sup> philosophiae panniculis, totam tibi philosophiam cecidisse putes, sed in qualibet  
 200 sententia praecedentia uel subsequenda, causam et intentionem diligenter examina. Etenim sancti patres, quasi aues de medio petrarum uiuentium, id est apostolorum et prophetarum, uocem dantes <sup>7</sup>, nec ipsi sibi nec alter alteri dissentiant, sed sunt indiuisi idipsum sentientes, ut merito per aues illas <sup>b</sup> figurati sint quas  
 205 sanctus Abraham in sacrificio non diuisit, cum animalia caetera, per quae scismatici figurati sunt, diuisa sunt <sup>c</sup>. Illud item commune ne adicias *consuere puluillos sub omni cubito manus* ut securius peccent qui terrae incubant et coelestia non cogitant. Hoc quippe facientibus terribiliter propheta *ue* denunciat <sup>9</sup>.

---

a. vestae ms.

b. illas bis scriptum ms.

c. diuisis ms.

1. *Contra Rufinum III, n. 28.*

2. *Non inueni.*

3. *De bono coniugali c. 16, § 18.*

4. *Cf. Vita S. Remigii Remensis auctore Hinemaro.*

5. *Math. 28, 19.*

6. *Ps. 26, 12.*

7. *Ps. 103, 12.*

8. *Gen. 15, 10.*

9. *Ezech. 13, 18.*